





736  
DISSERTATIO INAUGURALIS  
JURIS GERMANIÆ PUBLICI

DE

1770, 2.

# AUREA BULLA CAROLI IV. IMPERATORIS

QUAM

SUB PRÆSIDIO DIVINO  
EX DECRETO

16

ILLUSTRIS FACULTATIS JURIDICÆ  
IN ALMA ARGENTORATENSIMUM UNIVERSITATE

## PRO LICENTIA

## GRADUM DOCTORIS

RITE CONSEQUENDI

SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

A. D. VIII. MARTII A. R. S. MDCCCLXX.

NICOLAUS SEBASTIANUS SIMON

COLMARIENSIS.


H. L. Q. C.

ARGENTORATI

Ex Prelo JOH. HENRICI HEITZII Universitatis Typographi.

*Concordia res parvae crescunt,  
Discordia maxime dilabuntur.*

SALLUST.





L. B. S.

*Profectuum, quos in Publici Germaniae Juris studio hucusque feci,  
qualecunque hoc Tibi testimonium  
exhibeo, amice Lector. In quo quidem specimi-  
ne si nihil forsan offendas dictum, quod non ab  
aliis dictum sit prius, consulto me manum ab iis  
controversiis abstinuisse cogita, quarum decisio  
maturius iudicium & experientiam comitem re-  
quirit. Tu proinde levibus meis hisce conatibus  
ut favere, quaeque Auctori defunt, Tua huma-  
nitate & aequitate supplere velis, enixe rogo.*

§. I.

Quantum in iis, quæ suos sibi principes legunt, imperiis, reipublicæ intersit, ut & eligendi forma & electorum jura certis definiantur legibus, infinita, quæ Germania olim ob defectum ejusmodi legum passa est, damna, abunde testantur. Hinc enim orta sunt bella civilia, quæ procerum opes ita exhauserunt, ut isti, nihil non sibi licere rati, novorum vectigalium exactione, monetæ ærificatione, aliisque, quibus salus publica periclitatur, mediis, fortunam subditorum everterent. Inter arma filebant leges, & spreta imperantium auctoritate ex rapto fere vivebatur. His malis ut obviam iret, & ruenti in exitium Germaniæ frena imponeret, Carolus IV. A. 1356 Auream Bullam promulgavit.

§. II.

Est *Aurea Bulla* lex fundamentalis Imperii Romano-Germanici, continet diversa Juris publici capita, in primis quæ ad electionem & coronationem Imperatoris, jura & dignitatem Electorum, ordinem Curiaæ Imperialis, officia Palatina, eorumque functiones pertinent.

§. III.

Priora XXIII. capita A. B. in Comitiis Norimbergensis libus, reliqua in Curia Metensi promulgata fuerunt.

§. IV.

Curiam Norimbergensem universalem fuisse, ex ipsa

A. B. a) appetet: "Affidentibus nobis omnibus Principibus, Electoribus, ecclesiasticis & saecularibus, ac aliorum „Principum, Comitum, Baronum, Procerum, Nobilium & Civitatum multitudine numeroſa, in folio Majestatis Cæſareæ, Imperialibus infulis, insigniis & diademate condecorati, matura deliberatione prævia, de Imperialis potestatis plenitudine edidimus, statuimus & duximus fanisciendas." Item b) "Hinc est, quod in solemani Curia nostra Norimbergensi cum venerabilibus ecclesiasticis & illustribus saecularibus Principibus Electoribus & multis aliis Principibus & Proceribus per nostram Cellitudinem celebrata." Confirmantur hæc litteris a Legatis Argentiniensibus Norimbergæ ad Senatum Argentinensem scriptis c), quæ præcipua capita continent, de quibus Imperator se cum Statibus in Comitis deliberaturum esse ipsis indicaverat. Verba hæc sunt: "Das will er alles zu Rate werden mit Fürſten mit Herren und mit Städten — Ir sollent auch wissen, das in vilen Jahren so manig Herre und Stätte nie zusammen komen. Datum vigilia B. Andreæ Apostoli."

a) v. proem. A. B. Ex his proemii verbis appetet, Nobilitatem Immediatam Imperii olim nonnunquam ad Comitia vocatam fuisse; an autem ipsis deliberationibus Comitatalibus interfuerit, dubitatur; adfunt testimonia, quibus, eam deliberationibus de bello gerendo aut pace publica firmanda institutis interfuisse, probari possit. Ex multis unum producimus. Extant in Archivo Kaldenfelsensi Caroli V. Imperatoris litteræ, quibus ganerbios de Kaldenfels ad Comitia Wormatiensia invitati. Ibi hæc verba leguntur: "Sobes verkunden wir Euch ernstlich beobehend, das ir auf solichen Reichstag nur Bottſchafft mit vollnächtlicher Gewalb ohn wider hinter sich pringer ſendet und daſelbſt miſ sampt Churfürſten Furſten und anderen Ständen die wir gleicher weis beschrieben haben all ob bemelte Sachen helfen aufzurichten, zu beratſchlagen und endlich zu beſchließen. Date sunt hæc litteræ Coloniae d. 1. Novembris A. MDXXI.

b) in Cap. XII. §. 2.

c) apud WENCKERUM in *Apparatu & Instru<sup>t</sup>u<sup>m</sup> Archivorum*  
p. 207. & seq.

### §. V.

Metensis Curia universalis fuerit, an minus, sub  
judice lis est. Electoralem fuisse, ex ipsa A. B. a) colligi  
posse videtur. "Hinc est, quod in solemani Curia Nurem-  
"bergensi — habita cum Principibus Electoribus delibera-  
"tione & de ipsorum confilio, pro bono & salute com-  
"muni cum dictis Principibus Electoribus tam ecclesiasticis  
"quam fœcularibus, duximus ordinandum, quod iudicem  
"Principes Electores de cætero per singulos annos semel,  
"transactis a festo Paschæ Resurrectionis Dominicae quatuor  
"septimanis continue connumerandis in aliqua Civitatum  
"Sacri Imperii personaliter congregentur, & ad idem tem-  
"pus proxime affuturum, seu anno præsenti, Colloquium seu  
"Curia & congregatio hujusmodi in civitate nostra Impe-  
"riali Metensi per nos & eosdem Principes celebretur." &c.  
Comitia Metensia, in quibus posteriora A. B. capita pro-  
mulgata sunt, hic indigitari, quilibet videt. Convocata  
erant ista ad tempus in A. B. præfixum, sed ob varia im-  
pedimenta in mensem Decembrem usque dilata. Pro Ele-  
ctorali Curia pugnant etiam verba procemii, quod titulo  
XXIV. A. B. præfixum est. "Infra scriptæ leges promul-  
gatae sunt in Curia Metensi per Dominum Carolum IV.  
"Imperatorem Romanum & Bohemia Regem Augustum  
"A. Domini MCCCLVI. assistentibus sibi omnibus Sacri Im-  
"perii Electoribus Principibus & præsentibus Dominis Vene-  
"rabili in Christo Patre D. T. (Domino Talayrando) Episco-  
"po Albanensi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali ac Carolo  
"Regis Franciæ primogenito Normandiæ Duce illustri ac  
"Delfino Viennensi b) in die Nativitat Christi." Non de-

sunt tamen argumenta, quæ Curiam Metensem universalem fuisse, persuadere possent. Nam quod procemium attinet, illud in Trevirensi Codice deest <sup>c)</sup>, unde dubium oritur, an argumentum, quod ex eo ducitur, validum sit. Sunt etiam Scriptores, qui de hac Curia ita loquuntur, ut modum Electoralis excedere videatur. Ex multis ALBERTUM ARGENTINENSEM <sup>d)</sup> producimus. "Erat (inquit) „solemnior Curia (Metensis) quam de aliquo Imperatore ascribitur temporibus retroactis multis." Cum hoc testimonib[us] littera apud WENCKERUM <sup>e)</sup> conspirant. Quicquid tandem sit, placet mihi LUDEWIGII conjectura, qui deliberationibus de Electorum juribus & privilegiis, quæ in septem posterioribus A. B. capitibus continentur, solos Electores interfuisse existimat.

- a) v. Cap. XII. §. 2.
- b) Talayrandus Innocentii VI. S. P. legatus & Carolus Galliae Delphinus eo tempore Metis erant, ut Imperatoris auxilium contra Anglos implorarent; hi enim Johannem Caroli patrem Galliae Regem, infelici apud Pictavos prælio victum, captivum tenebant. Testes producit LUDEWIGIUS ad A. B. T. II. p. 335. & seq. Pro Domino Theodorico, quod in plerisque impremissis Codicibus exstat, legendum Domino Talayrando. v. idem l. c. p. 343. n. 9. In Authenticis litteræ initiales D. T. exstant.
- c) v. Notæ marginales ad A. B. quas OLENSCHLAGERUS suo Commentario praefixit.
- d) ad A. 1356.
- e) l. c. p. 208. & seq.

### §. VI.

Quisnam A. B. concinnandæ negotium in se suscepit, non adeo certum est. BARTOLO hoc opus plures adscribunt, quod tamen ab aliis refellitur, cum eo tempore, quo A. B. publicata, Bartolus jam inter vivos esse

A 3

desierit. Quia vero sine dubio ea constitutio ante verbis  
concepta, quam promulgata est, tempus, quo Bartolus  
obiiit, cum eo, quo illa scripta fuit, licet nondum pro-  
mulgata, scite conciliari posse, judicat L U D E W I G I U S a).  
Verum licet temporum rationes convenientia, præferenda  
tamen mihi videtur OLENSCHLAGERI opinio, qui R U-  
DOLPHUM FRIDBERGENSEM Caroli IV. Vicecancel-  
larium A. B. scriptis tradidisse existimat. Confirmatur hæc  
sententia Annalium quorumdam testimonio b) & ipse stilus  
Virum Ecclesiasticum prodit.

a) in Praef. ad Singularia J. P. G. I. pag. 37. add. nota Argent. ad  
HEINECCI Hist. Jur. L. II. §. 97. n. 8.

b) apud CYRIACUM SPANGENBERGIUM in Chronico Ver-  
densi p. 102. hæc verba leguntur: "Ibm (Rudolpho) wird auch  
„in etzlichen Cronicen zu lob nach gereut, daß er zu Kaiser  
„Caroli IV. zeiten gestellt babe die Guldene Bullam, dar sich jetzt  
„noch die Kaiser und Churfürsten nach richten."

## §. VII.

RUDOLPHUS, e Fridberga Wetteraviæ oppido, pa-  
tre Johanne Rühllo viro plebejo oriundus, postquam Ca-  
roli IV. Vicecancellarius fuerat & Præposituram Wetzla-  
riæ gesserat, A. 1366 Episcopus Ecclesiae Verdenis ele-  
ctus, anno sequenti obiit a).

a) Testimonia producit L. B. DE GUDENUS in Cod. Diplom. Mo-  
gunt. T. III. p. 486. seq. Addimus ejus Epitaphium apud SPAN-  
GENBERGIUM in Chronico Verdensi p. 102.

Iste dico sacram hanc rexit Episcopus aulam  
Qui prius ob doctæ sapientis munera mentis  
Caroli erat Quarti Vicecancellarius atque  
Ter centum templo dedit huic in agone Rhenensem.

## §. VIII.

Latina lingua an Germanica A. B. perscripta fuerit,

quæritur? Quæstio hæc superiori sèculo præcipue agitata fuit, cum inter Electores Bavarum & Palatinum de Vicariatu lites orientur, quem Bavarus ratione Electoratus, Palatinus ratione Comitatus Palatini sibi asserebant. Pro Palatino latinus A. B. Codex pugnat, Bavaro germanicus favere videtur a). Lites hæc hodie per transactionem die 26 Martii A. 1745 inter Bavaram & Palatinum initam & A. 1752 ab Imperatore & Imperio confirmatam, sòpitiæ sunt. Sed de jure quæritur? quod pro Palatino stat. Auream Bullam enim latine perscriptam fuisse, multis argumentis probari potest, e quibus hæc duo sufficiunt:

- 1) Quod nullus exstet germanicus Codex, cui Aurea Bulla authenticitatis signum appensa, adhinc vero plures latini,
- 2) Quod multæ factæ fuerint versiones germanicæ, quibus opus non fuisse, si A. B. germanico idiomate perscripta fuisset.

- a) In versione germanica, quam Bavarus citavit, T. V. §. 1. hæc verba leguntur: "Und soll der erleuchtete Pfaltzgraf bey Rhein von des Churfürstenthums und Pfaltzgrafschaft freyheit wegen ein Verweser und Pfleger des Reichs seyn." In authentico hæc ita exhibentur: "Illustris Comes Palatinus Rheni — ratione Principatus seu Comitatus Palatini privilegii esse debet Provvisor Imperii."

## §. IX.

Francofurtensem Codicem authenticum esse, multi sibi persuadent. Quam maxime enim verosimile esse dicunt, Francofurtensibus, apud quos electio Imperatoris celebrari debet, ipsum authenticum datum fuisse. Sed id in Cancelleria manisse, Electoribus vero singulis & aliis, qui id solutabat, statibus, exempla pro emolumentis Cancelleriae solitus expedita fuisse, probabile videtur; quæ tamen revisa & cum originali tum collata ipsa quoque pro authen-

ticis habenda sunt. Hujus generis exemplum Francofur-  
tense esse, inde colligitur, quod inter privilegia Civitatis  
Francofurtensis ab Imperatore revisa & confirmata A. B. ex-  
stet, atque hinc etiam Codex Francofurtensis Numero VI.  
inscriptus sit, quia A. B. in fasciculo privilegiorum sex-  
tum fuerit a).

a) LUDEWIG in *Praef. ad T. II. A. B.* p. 43.

### §. X.

Aurea Bulla sitne genuina, an minus, in dubium voca-  
tum à KYRIANDRO legimus; sed ejus argumentis re-  
spondit LUDEWIGIUS a). Inutilis hodie hæc quæstio est,  
cum eam recentioribus Imperii Legibus confirmatam esse  
constet. Verba Capitulationis novissimæ b) hæc sunt:  
“Wollen die Guldene Bull — gleich wäre es dieser Capitula-  
tion von Wort zu Worten einverlebt, stet, vest und un-  
verbrüchlich halten.”

a) ad *A. B. in praef. ad T. II.* p. 59. & seq.

b) Art. II. §. 3.

### §. XI.

Qui Titulo XI. A. B. subjicitur §. hanc autem legem &c.  
non videtur primo statim initio partem A. B. constituisse.  
Deest quoque in Trevirensi, Francofurtensi & aliis anti-  
quioribus exemplis, habetur vero in Codice Wenceslai,  
unde forte ejus tempore additus fuit.

### §. XII.

Mutatam saepius A. B. fuisse, BRUNNEMANNUS a)  
aliisque multis exemplis probare student. E pluribus vero,  
qua

Quæ allegantur, paucissima internam legis mutationem te-  
stantur. Dabimus aliqua.

¶ in *Dissert. de Mutatione A. B.* Halle 1705, recusa Witteb. 1737.

### S. XIII.

Pro mutatione A. B. venditatur, quod septem, qui ibi  
nominantur, Electoribus, superiori saeculo octavus & no-  
stro nonus fuerit additus. Argumenta, quibus sententiam  
suam probare nituntur, hæc sunt. Dicunt, septenarium  
Electorum numerum olim observantia introductum, a Ca-  
rolo IV. ob mysticas & politicas rationes in A. B. confir-  
matum fuisse, neque adeo mutandum esse, præsertim, cum  
Imperator omnibus sere constitutionibus a), de juribus &  
dignitate Electorum latis, expressis verbis addiderit, quod  
perpetuo valere debeant. Verba proœmii, quæ in primis  
sibi favere arbitrantur, hæc sunt: "Tu quidem invidia —  
divisionem inter septem Electores facri Imperii, per quos  
velut septem candelabra lucentia in unitate spiritus septi-  
formis sacrum illuminari debet Imperium, multoties po-  
suisti." Verum operam oleumque perdunt, qui Impera-  
torem ob mysticas rationes septenarium numerum insi-  
tuisse sibi aliisque persuadere fatagunt. Proœmium enim  
non a Legislatore, sed a RUDOLPHO Cancellario Legi  
jam scriptæ additum fuisse, quam maxime verosimile est:  
hinc etiam mystica ista elogia, quæ Electoribus ibi tribuan-  
tur, septenarium numerum prorsus non probant. Ad po-  
liticas rationes quod attinet, plures quidem fuisse videntur,  
quibus Imperator permotus his potissimum, qui in A. B.  
nominantur, jus eligendi cæteraque privilegia confirma-  
verit, verum hæc rationes plane non evincent, quod nul-  
lo unquam tempore plures eligi possint. Quæ de æterna  
legum A. B. duratione proferuntur, nullius sunt momenti;

B

eam quippe mutari posse, infra probabimus. Introdutis itaque tabulis P. W. octavo & nostro seculo nono Electoratu, Aurea Bulla non fuit mutata. Ex Placito tamen Imperii, in causa Palatina die 31. Martii A. 1647. facto *b*), apparet, tempore P. W. Status Imperii omnino existimasse, septenarij numerum a Carolo IV. definitum fuisse. Hinc etiam in tabulis Pacis *c*) expresse cautum fuit, ut si linea Wilhelmina deficiente, superstite Palatina, dignitas Electoralis ad Palatinos rediret; *octavus tunc Electoratus prorsus expungeretur.*

*a) v. C. IV. VI. IX. & XXI.*

*b) apud DE MEIERN Act. P. W. T. IV. p. 396. v. infra §. XVI.*

*c) Art. IV. §. 9.*

#### §. XIV.

Ad mutationes porro referunt, quod hodie Electores A. C. addicti sacris Missâ non interfint, sed auditio præfamine statim fecendant, cum tamen in A. B. statutum sit *a*), “in omnium ipsorum, Electorum, præsentia Missam de „Sancto Spiritu faciant decantari ad finem” Verum hæc non expressam legis mutationem sed interpretationem restrictivam innuunt.

*a) Cap. II. §. 1.*

#### §. XV.

Dein statutum est A. B. *a*), ut tempore Electionis peregrini urbe exeant, hodie sæpius contrarium evenit, unde mutationem inferunt. Verum hoc per modum dispensationis a lege fieri solet, convenientibus inter se Electo-

ribus, ne ista dispensatio in præjudicium A. B. vergere possit.

a) Cap. I. §. 25.

### S. XVI.

Quamvis vero non multa adsint exempla, quæ internam A. B. mutationem probent, eam tamen in nonnullis mutatam esse, & de jure mutari posse, extra omne dubium est. Confirmatur hæc sententia Placito Imperii, d. 31. Martii A. 1647. in causa Palatina facta a), cuius verba hic exscribimus: "Anlangend, daß zu Contentirung der Herren Pfaltz-Grafen und in deren favor vorgeschlagenes medium octavi Electoratus, obwohlen der Herren Churfürsten und Ständen anwesenden Gesandten und Botschafften, insonders auch und zuforderst ihren gnädigst und gnädigen Herren Principalen, Obern und Committenten bey diesem medio allerhand schwere rationes und Bedenken, warum es nemlich bey dem in der Guldenen Bull als des Heil. Reichs fundamental Gesetz einmal beliebten und verordneten numero septenario zu lassen sey, zu Gemüth gangen — nichts desto weniger gleichwol und nachdem der jetzt bekannte hochklägliche Zustand des Heil. Römischen Reichs ein weit anderst erfordert, und nach Gestalt dessen PRO PRIMO billig heißt Salus Imperii suprema lex esto, auch PRO SECUNDO nicht zu zweiflen, daß die Auctea Bulla, worinnen sich der septenarius numerus Electorum befindet, nicht allein vor sich geändert werden könne, sondern auch nach deren publication, wie cap. 12 und sonst, alwo von denjenigen jährlichen Zusammenkünften, auch der Wahl eines Römischen Königs zu Frankfurt, der Coronation aber zu Aach, item von verbottenen Appellation wider der Herren Churfürsten Urteil und De-

Creten statuirt worden, zu sehen ist, zu verschiedenen ma-  
 len verändert worden, consequenter dasjenige, was auf  
 eine Zeit gesetzt und beschlossen worden, per contrarium  
 „confensum Ibro Kayserlichen Majestät und Dero gefam-  
 teten Reichständen, bevorab, da die Noth und Nutzbarkeit  
 des Heil. Römischen Reichs es also erfordert, gar wol auf-  
 zuheben, und dann PRO TERTIO bekanntlich, daß das Rö-  
 mische Reich oft und vielmal in ipsa forma regiminis aus  
 erheblicher Ursachen seine mutation gehabt, zumalen das-  
 selbige in linea Carolina hereditarium gewesen, dahero  
 man novis in Imperio emergentibus causis & necessitati-  
 bus nova & extraordinaria remedia adhibiren müssen; wie  
 dann QUARTO ratione translationum der Churwürden und  
 Landen im Reich bekannte exempla zu geben: so haben  
 sich aus diesen und andern mehr erheblichen Ursachen und  
 Motiven QUINTO zu gütlicher Hinlegung dieser Sachen  
 Ibro Kayserl. Majestät und der fremden Cronen, als vor-  
 nehmsten Actoren bey diesen Tractaten selbst Meynung nach,  
 wie kein besser noch sicherer Expedient ergriffen werden kön-  
 nen. Sodam SIXTO, daß diese Auditio Numeri non per-  
 petua & immutabilis, sondern auf zutragenden Fall der  
 Octavus extinguit, und der numerus eligentium wieder  
 ad septenarium & eundem ordinem, wie selbige ansetzo  
 in der güldenen Bull verordnet, reducirt werden können,  
 der Churfürsten und Stände anwesende Bottschafften nach  
 reifer der Sachen Erwegung unter andern dahin unanimi-  
 ter verglichen, daß der von höchstdedichter Ibro Römischem  
 Kayserl Majestät wohmeynd vorgeeschlagene octavus Ele-  
 ctoratus, non attento der güldenen Bull und anderen  
 Reichs - Constitutionen zu dermaligen Accommodation  
 der Pfälzischen Sache consequenter ebister Beruhigung  
 des H. Reichs zu ergreissen und die Herren Pfälzgrafen  
 damit zu begnadigen seyen &c.

a) Apud DE MEIERIN AD. P. W. T. IV. 396. & seq.

## §. XVII.

Sunt, qui Imperatoris & Electorum consensum ad mutationem A. B. sufficere patent; alii reliquorum quoque Statuum suffragia requirunt. Mihi omnium Statuum consensus necessarius videtur, ubi de re agitur, quæ totum Imperium concernit, idque ex ea ratione, quod in Comitiis Norimbergensibus, ubi præcipua A. B. capita condita fuerunt, reliqui quoque Status vota tulerunt. Etiam si autem hoc argumentum deficeret, hodie tamen nullum dubium supereesse potest, cùm in tabulis P. O. a) Statuum suffragium in omnibus deliberationibus, quæ rem Imperii publicam respiciunt, confirmatum sit. “Gaudeant sine contradictione jure suffragii in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii, præsertim, ubi Leges ferendæ vel interpretandæ” addimus, ubi mutandæ. Hinc etiam Imperator in Capitulatione b) promittit, se inconsultis Statibus A. B. non derogaturum. “Wollen die Guldene Bull gleich wäre sie dieser Capitulation von Wort zu Wörtern einverlebt stet, vest, und unverbrüchlich halten, und unter keinerley Formand, er sey wer er wolle, ohne Churfürsten Fürsten und Stände auf einem Reichs- oder ordinari Deputations- Tag vorgehende Bewilligung daraus Schreiten”. Quodsi vero de re agitur, quæ Electorum privilegia sola respicit, eorum quoque consensum sufficere existimo. Ita de Comitiis Electoralibus, quæ ex dispositione A. B. quotannis haberi debent, statuitur c), quod ista ordinatio ad Imperatoris tantum & Electorum placitum duatur sit. Constat etiam, a solis Electoribus in Capitulatione Ferdinandi II. d) mutatam fuisse Legem A. B. quæ statuit, ut officiales hæreditarii xenia non capiant,

nisi ipsi in Curia Imperiali præsentes sint, & officiis suis fungantur; hæc enim hodie etiam si absentes sint, iis debentur e).

- a) Art. VIII. §. 2.
- b) *Capit. JOSEPHI II. Art. II. §. 3.*
- c) Cap. XII. §. 2.
- d) MOSE R ad *Capitulat. CAROLI VII. T. II. p. 165, sq. E J U S D.*  
*Staats-Recht T. VI. p. 121.*
- e) *Capit. JOSEPHI II. Art. III. §. 23.*

### §. XVIII.

Sunt quædam A. B. capita, quæ nunquam forte in usum deducta fuerunt. Huc pertinent, quæ de Judicio Palatini in Cæsarem A. B. a) habet. Verba hæc sunt:  
 „Et quamvis Imperator sive Rex Romanorum super causas, pro quibus impeditus fuerit, habeat, sicuti ex consuetudine introductum dicitur, coram Comite Palatino Rheni, sacri Imperii Archidapifero, Electore Principe respondere, illud tamen judicium Comes Palatinus ipse non alibi præterquam in Imperiali Curia, ubi Imperator seu Romanorum Rex præfens extiterit, poterit exercere.“  
 Fabulis hoc Judicium cum SENCKENBERGIO b) adscribere dubito. Originem hujus juris Palatino competentis ex officio, quod antiquissimis temporibus tanquam Major Domus in Aula Regia gessit, derivat PUFENDORFIUS c):  
 „Hic enim, inquit, uti in alias aulicos exercebat jurisdictionem, ita si quis ab ipso Rege quid postularet, de quo ambigebatur, Comitis Palatini erat cognitio. Cujus sententia stabat Rex, non tanquam istum agnosceret superiorem, sed quod cognito petitoris jure non possit non obligationem suam explere. Sicut multos novimus Prin-

„cipes in Germania & alibi, qui saper debitibus aliisque ipsos spectantibus causis, dubii quid habentibus, in propriis Tribunalibus convenire solent, quæ tamen Tribunalia Principem non quicquam cogere possunt, aut multa coercere, siquidem juris ac conscientiae, publicæque exultimationis reverentia eundem ad debitum exolvendum non adegerit”. In eo vero errare videtur PUFENDORFius, quod Majoris Domus & Comitis Palatini officia confundat; sub Merovingis enim hæc distincta fuerunt, & abrogato licet Majoratu Domus, Comitis Palatini officium sub Carolingis perduravit. De privatis itaque non publicis Imperatorum causis intelligenda Palatini cognitio. Ex quo tempore propria habuerunt tribunalia Imperatores, hoc judicium in defuetudinem abiisse videtur.

a) C. V. §. 3.

b) In Disquisit. cui titulus: *Fabula Judicij Palatini in Cesarem Jur. Publ. Doct. badenus credita.*

c) In Libro, quem sub ficto SEVERINI de MONZAMBANO nomine edidit de *Statu Imperii Germanici.*

### S. XIX.

Quæ de variis linguis, quas ediscere debent Electorum filii, in A. B. a) statuta sunt, nunquam forte in obseruantiam deducta fuerunt. Ratio Legis hæc allegatur “quia in his linguis plus ardua negotia ipsius Imperii ventilentur.” Hæc de Latina atque Italica eo tempore concedit LUDWIGIUS, de Slavica negat, sed eam ob politicas rationes a Carolo IV. Electorum filiis eum in finem præscriptum esse putat, ut eos ad Universitatem Pragensem alliceret, utque odium, quo Slavi seu Bohemi a Germanis habebantur, tolleret, quod ipsum se effecturum esse creditit, si

Electores Slavica lingua uterentur ipsi: sed mihi vera videtur fuisse, quæ in A. B. allegatur ratio. Testatur U M R E S T U S b) Ducibus Carinthiæ iam olim privilegium datum, ut causas suas in Palatinis judiciis sua linguis perorarent. Verba hæc sunt: "Vor alter haben alle Hertzoge von Kerthen die Freyheit gehabt, wann sie vor einem R. Kayser oder König verclagt sind worden, oder angesprochen, so haben sie sich in Windischer Sprach verantwortet, darum das Kerndten ein recht Windisch Land ist. das hat auch sanct Kayser Heinrich bestatt." Idem forte etiam de aliis Slavicis Principibus probari posset. Quia vero causæ Procerum in Curiis solemniibus, quibus Electores judices inteterant, decidebantur, Carolus IV, ne privilegiis Slavorum Principum derogaret, Electorum filiis Slavicam linguam præscripsit. Hæc tamen hodie mutatis moribus & judiciorum forma extra usum sunt,

a) Cap. XXX.

b) in Chron. Carinthiæ apud HAHN T. I. Collect. Monim. Vet. p. 485.

## §. XX.

Innumeræ ex interpretatione A. B. natæ sunt inter Doctores controversiae. Plures Questiones dubias ad A. B. mouet STRYCKIUS a), quibus alii alias addunt. An itaque Lex ipsa tantum obscuritatis habet? Negabunt hoc sine dubio illi, qui morum ejus temporis, quo scripta est, periti sine partium studio legem hanc perlegunt. Ipse etiam STRYCKIUS dubiis motis docte respondet; nec defunt argumenta, quibus cæteris satisfieri possit. Aliquas saltem dabimus exortas nostro sæculo lites. Divo Francisco Stephano & Mariæ Theresiæ Augustæ, Hungariæ Bohemiæque Reginæ, status questionem motam legimus, illi, an Imperator eligi, huic, an in electione Imperatoris suffragium ferre possit.

a) Dissert.

a) *Dissert. Jurid.* Vol. I. seu *Opp. Tom. XI. Disp. XXVIII.* pag.  
471. seq.

S. XXI.

Prodierunt A. 1745 nonnulla scripta, quæ Franciscum Stephanum Magnum Hettruriæ, antea Lotharingia Ducem, extraneum Principem, & extranei electionem A. B. contrariam esse persuadere conabantur. Mihi Franciscus Stephanus Germanicus Princeps esse, &, si vel maxime non fuisset, tamen in Imperiale solium evehi potuisse videtur. Otiolæ funt, quæ de qualitate eligendi ventilantur ingeniosæ disputationes. Clara enim funt A. B. a) verba: *bonum iustum bonum & utilem esse eligendum;* an autem quis reipublicæ utilis sit? non ex verbis Legis, sed ex temporum conditione determinandum. Politica itaque quæstio est, quam prudenti consilio Electoribus decidenda A. P. relinquit, qui si extraneum eligunt, jure suo agunt.

a) C. II. §. I.

S. XXII.

An femina in electione *Imperatoris suffragium ferre possit,* disputatum fuit. Mihi hæc quæstio ex ipsa A. B. ad quam negantes provocant, quoad Bohemia Reginam, affirmanda videtur. Opponuntur sequentia A. B. a) verba:  
 "Sane generaliter, longe lateque est publicum, & quasi  
 "per totum orbem notorie manifestum, illustres Regem  
 "Bohemiam, Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniam  
 "Marchionem Brandenburgicum virtute Regni & Prin-  
 "cipatuum suorum in electione Regis Romariorum in Cæ-  
 "farem promovendi cum cæteris Principibus Ecclesiasticis  
 "suis Coëlectoribus jus vocem & locum habere, & una  
 "cum ipsis censi, & esse veros & legitimos Sacri Imperii  
 "Principes Electores. Ne inter eorumdem Principum Sæ-  
 "cularium Electorum filios super jure, voce & potestate

C

„præfata futuris temporibus scandalorum & dissensionum  
 „possit materia fuscitari, præsenti lege perpetuis tempor-  
 „bus valitura decernimus, ut, postquam iidem Principes  
 „Electores sacerdotes & eorum quilibet esse desierit, jus,  
 „vox & potestas electionis hujusmodi ad filium suum pri-  
 „mogenitum, legitimum, laicum, illo vero non extante,  
 „ad ejusmodi primogeniti filium similiter laicum, libere &  
 „sine contradictione cujuspiam devolvatur. Si vero pri-  
 „mogenitus hujusmodi absque hæredibus masculis legitimis  
 „laicis ab hac luce migraret, virtute præsentis Imperialis  
 „edicti, jus, vox & potestas electionis prædictæ ad senio-  
 „rem fratrem laicum per veram paternalem lineam descen-  
 „dentes, & deinceps ad illius primogenitum laicum de-  
 „volvatur.” Dum itaque A. B. masculorum modo mentio-  
 nem injicit, feminas a successione dicunt excludendas.  
 Verum licet hoc de reliquis sacerdotalibus Electoratibus omnibus  
 certum sit, solum tamen Bohemiæ Regnum singulari-  
 quodam privilegio b), deficientibus masculis, feminas ad-  
 mittit, quod in A. B. confirmatur his verbis: “Salvis senti-  
 „per privilegiis, juribus & consuetudinibus Regni nostri  
 „Bohemiarum — quibus ex hujusmodi sanctione Imperiali in  
 „nullo præjudicari volumus, imo ipsa decernimus nunc &  
 „perpetuis futuris temporibus in omni suo tenore & forma  
 „indubiam tenere roboris firmitatem” Ex mente itaque  
 Caroli IV. Bohemiæ Regina juribus Electoralibus frui de-  
 bet, hodieque tranquille fruitur.

a) Cap. VII. §. 1. seq.

b) Exstat apud GOLDASTUM de Regno Bohemia in Append. Dis-  
plos. p. 44. & 45.



Strasburg, Diss., 1760-75

ULB Halle  
004 359 240

3



f

sb.





DISSE<sup>736</sup>  
TATIO INAUGURALIS  
JURIS GERMANIÆ PUBLICI  
DE  
AUREA BULLA  
CAROLI IV. IMPERATORIS  
1770, 2.  
QUAM  
SUB PRÆSIDIO DIVINO  
EX DECRETO  
ILLUSTRIS FACULTATIS JURIDICÆ  
IN ALMA ARGENTORATENSIMUM UNIVERSITATE  
PRO LICENTIA  
GRADUM DOCTORIS  
RITE CONSEQUENDI  
SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT  
A. D. VIII. MARTII A. R. S. MDCCCLXX.  
NICOLAUS SEBASTIANUS SIMON  
COLMARIENSIS.  
H. L. Q. C.  
ARGENTORATI  
Ex Prelo JOH. HENRICI HEITZII Univeritatis Typographi.